

Johann Festing

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Festingius Ad
exequias, quas ... Annae Elisabethae Parens ... Iustus Christophorus Schomerus,
SS. Theol. D. & Profess. Primar. ... hodie paratas esse voluit, Omnes Omnium
Ordinum Cives Academicos ... invitat**

Rostochi[i]: Wepplingius, [1690]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777427508>

Druck Freier  Zugang




Festing, J.,
in
A. E. Schomer,
Rost.(1690.)

40



PROGRAMMA
LECTOR
JOHANNES
STINGIUS
ANNA ELISA
JUNIOR
MORIS MONTAGNI



PROGRAMMA

^{quo}
RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

JOHANNES FE
STINGIUS

Ad exequias, quas
BEATÆ SUÆ FILIOLÆ

ANNÆ ELISA-
BETHÆ

Parens

VIR Maximè Reverendus atq; Excellentissimus

DN. JUSTUS CHRISTO-
PHORUS SCHOMERUS,

SS. Theol. D. & Profess. Primar. Celeber-

rimus, Sereniss. Ducum Meclenb. Consistorii Adfessor

& Diœcef. Meclenb. Superintendens

hodie paratas esse voluit,

Omnes Omnium Ordinum Cives Academicos, eo

quo par est studio omniq; humanitate invitat.

—•••••
Rostock, Typis JOHANNIS WEPPLINGII, Acad. Typogr.





Agna *Patientia* vox est quæ circumfertur ubi mens humana in prosperitate sua speculatur aliorum mala infortunia. Facilis censetur virium nostrarum potentia qua affectuum illecebris obicem ponere prudentia satagit, ubi iracundiæ nomen horridum molleq; satis æquanimitatis

videtur, ubi virtus ab omnibus laudatur & in vitiis esse ipse abominatur hominis animus. Magnis in doctrinis magnos conceptus gloriantur Philosophi, quorum omnium virtus in tantum valet in quantum alta voce dicitur profundisq; pingitur coloribus. Equidem quas non novimus præscriptas esse iræ cohibendæ regulas? Hanc belluam detestamur, & hoc in malo illusiones consideramus atq; damna ingentia. adeo sapiens sine ira dum est, ira quicquid est, ait cum Seneca, non est ira sed quasi ira: sicut puerorum, qui si ceciderunt, terram verberari volunt & sæpe ne sciunt quidem cui irascantur, sed tantum irascuntur sine causa & sine injuria, non tamen sine aliqua injuriæ specie nec sine aliquâ pœnæ cupiditate. Sed si quidem in rebus ipsis ostendenda virtus sit, quis nescit, mox sapientem rotum concitatum & in impetu doloris esse, imò armorum sæpe in causis ludicris (quales sine affectu antè videbantur) sanguinis, suppliciorum, minimè humana fervet cupiditate: dum alteri noceat sui negligens in ipsa irruit tela ultionis tecum multa tracturæ avidus. Tanti res negotii est domare affectus aut cohibere eos his in rebus, ubi contempnū, ulciscendi genere contumeliosissimo, inter homines injurias vindicare, aut in virtute potius per integritatem

tatem vitæ erigi, & accendi ad exempla probitatis ubertim ostendenda, hoc est utilitate quadam ac felicitate animi meliori; conscientia lætari potuerat. Alias rationes, quæ opponuntur morbis iracundiæ aut doloris aut perturbationis cujuscunq; prætereo: quanquam in honorum causis faciliè unusquisq; cogitare debuerat, quod revera per injurias fama nemini auferatur sed legitima jure prodita sint remedia, quibus famæ & honori nostro consulere possimus. Quid autem nunc dicendum est si revera auferatur quod amatum est? Hic pro bonis defendendis mors ipsa non metuitur nec non eorum causa tot ac tanta sustinentur litium incommoda tantisq; cum mœroribus victorias hîc amisisse deplorant homines. At consideremus bona varia nostra quorum in multiplici diversitate diversos hîc non minus animorum motus animadvertimus. Quæ extra nostrum sanguinem consistunt, illa afficiunt quidem nosmetipsos cum inserviunt aut abeunt: sed in sanguine quod nostro fuit, si avulsum, si subtractum ac consumptum sit, tunc demum videri poterat abesse dolorum aut perturbationum mensura. Ipso sanguinis revolvitur motu perturbationum affectio, quæ tenerrimè gravis & gravitate sua dolores parit intensissimos. Heu! quanto homines opere laborant pro vita sua & salute sanguinis! quam tamen non in se modò solo aliquis causam respicit, sed in suis contemplatur à quibus descendit, quibusq; vitam per Deum addidit. Enim, verò secundum Aristotelem *lib. 8. Eth. c. 12.* & prout natura docet, qui ex parentibus oriuntur, sunt quasi alteri ipsi, dum separati sunt. Unde perquam bene Quintiliano visum est, ut pro deficientibus parentibus (si hîc quoq; officii genus natura permitteret) aliquid & vita nostra deperderet, iterumq; ex illa quam traximus anima portio brevis in suum rediret autorem, *declam. 5.* Nec mi-

mus naturalis erga filios caritas (de qua in l. 15. pr. ff. d. in-
offic. testam.) satis manifesta satisq; omnibus animan-
tibus connata est. Hac inre Lactantius, *Quid bestia inquit,
nonne frigus & famem patiuntur, & pro suo partu ita propu-
gnant, ut nulla vulnera, nullos, ietus reformident?* Imò insti-
tuyente naturâ plus ferè liberos. quàm nosmetipsos diligi-
mus, quod plenis libris loquitur omnis Philosophia, ubi
facile ætas omnis nec difficulter liberorum ingenium aut
conditio, paterni amoris argumentum est. Ita bunc pri-
mus nascendæ locus, ait Quintilianus declam. 5. *illum gratio-
rem prior fecit infantia, alium letior vultus & blandior osculis
amplexibusq; facies, quosdam magis severitas prohibitasq; com-
mendat, in quibusdam diliguntur impatientius calamitates.*
Adeò omnino verum est quod ait Brutus apud Dionysi-
um Halicarnassæum: *Conjuges, liberi, parentes: vita ipsa
cariora pignora sunt.* Nec immeritò inter liberos & pa-
rentes conjugum causâ ponitur, quorum tam arctissima
conjunctio est, ut una caro censeantur, tantum in liberis
vinculum, ut in ipsis semet cum amore contemplantur
invicem. Equidem ô duram acerbissimorum dolorum
congeriem, cum inter funera conjugis, parentis, ac libe-
rorum, affectus amoris ac desiderii laborant! Hic certè,
si in jacturâ aliarum rerum ac fortunarum commovetur
animus, commovetur omnium gravissimè. Quapro-
pter id secum volvens de Hiobo respondebat Satan Jeho-
væ, *Pellem pro pelle, & quicquid est vinctum, daturus est pro se
ipso.* Id verò idem in conservanda suorum vita, & si in
hominis potestate, avertenda morte prorsus animadver-
tendum est, ubi parentes alteriq; parentes liberi & indivi-
duæ vitæ consuetudinis conjugii consors periclitantur
imò ex vivis eripiuntur sollicitisq; subtrahuntur oculis.
Non immeritò meditamur, sicut est apud Greg. Nyssen-
num: *Qui fieri potest, ut affectuum perturbationem superet is
qui vivit in naturâ, non vincatur ab animi dolore ob tale specta-
culum.*

cūlum contracto? Sed inter gentiles Seneca Philosophus optimus nullo dolore, cum aliquem ex carissimis amiseric, affici, inhumanam duritiam dixit, & funera suorum iisdem oculis, quibus ipsos videre, nec commoveri ad primam familiarum divisionem, inhumanitatem non virtutem vocandam esse graviter testatus est. *vid. de consol. ad Helv. c. 16. Sep. 99.* Quinimò apud veteres Romanos parentes & filii statis temporibus elugebantur & qui contra fecisset, infamium numero habebatur. *vid. Paul. J. C. t. lib. sent. 1. tit. ult. Jac. Cujac. lib. 21. obs. 12.* Tum verò quis est qui ignorat gravitatem legum Romanarum quæ viduis maritos suos non elugentibus scriptæ sunt? Sic amplius ad Christianorum mores respiciendum est. Ibi planè in memoria lætissimæ resurrectionis & quasi cujusdam sementis ad meliorem in morte vitam, non tamen sine lacrymis nec sine luctu, suorum sepulturam profecuti sunt. Testimonia ac rationes humanissimas Chrysoftomi, Cyrilli, Augustini, Ambrosii, prætereo, quæ recensentur ap. Gerbard. loc. *Theol. tom 8. de morte p. m. 57. seq.* quandoquidem non melioribus argumentis hæc omnis causa talis nixa unquam visa est, quàm exemplis Abrahami, qui Saram; Jacobi, qui Josephum; Israelis populi, qui Moysen; Christi (at quantum hoc exemplum est!) qui Lazarum; Christianorum, qui Stephanum; Pauli, qui Epaphroditum moriendum deflexerunt, de quibus exemplis abs Geiero *de luctu Hebraeor.* aliisq; ac imprimis Petro Venerabili Abbate Cluniac. *lib. 2. Epist. 12.* ubertim indicatis, vide *Gen. 33, 2. 37, 34. Deut. 34, 8. Job. 11, 35. Act. 8, 2. Philip. 2, 27.* Quamobrem casum ambitiosè ferre, nec in laudibus positum *Tacit. in vit. Agric. c. 28.* & lugeri nolle, nec testamentum fani hominis visum fuit, quale allegatur Lud. Cortusii J. C. t. Patavini ap. *Paul. de Castro ad L. 27. ff. d. condit. instit. quib. add. camer lib. 1. Hor. subciv. c. 12.* Audiamus hac de re ulterius Petrum Venerabilem

)3

rabilem


rabilem Abbatem Cluniacensem *alleg. loc. ubi de superio-*
ribus exemplis agit, sed quid istos, ait, velut solitarios re-
plico: cum omnium veterum mos fuerit natura benignitate de-
scendens, quoslibet affines vel majores de medio functos dole-
re, & publico luctu eorum exequias celebrare? in quo societatis
humana quædam reverenda concordia commendabatur, quæ piis
mentibus esset quoddam desolationis solatium, & ad æterna dis-
quirenda magnum ex defectu presentium incitamentum.
 Sic amplius idem non contrarium fidei, non dissonans ab
 Ecclesiæ moribus esse probat, si super piorum funera pii
 homines piâ intentione compungantur, si, quod in Chry-
 sostomi objectionibus est, intermediam ægrè ferant sepa-
 rationem aut doleant amisisse quod bonam spem osten-
 derat. Verumenimverò dum hanc affectuum nostro-
 rum violentiam aut justitiam consideramus, meritò ho-
 die ob oculum ponimus quot inter ac quænam funera
 consistat Affinis noster honoratissimus deq; Ecclesia Chri-
 sti meritissimus ac Maximè Reverendus DN. JUSTUS
 CHRISTOPHORUS SCHOMERUS, S.S. Th. D. & P.P.
 celeberrimus, Consistorii Duc. Adfessor & Diocæs. Meckl.
 Superintendens. Vix cicatrices duxerunt vulnera quæ ^{in memori-}li-
 berorum ac conjugis carissimæ dolores subinde revocant.
 Nolo repetere, quanta ex sententia Juliani *epist. 37.* res per
 se luctuosa sit uxorem adolescentulam & castam & viro
 suo jucundam, prætereaq; liberorum præstantium ma-
 trem ante tempus ereptam esse tanquam facem accen-
 sam & paulò post extinctam: certè imperfecta domus,
 ut dicitur Plutarcho, & mutilata familia, cum à domo in
 Ecclesiam ac Academiam virtus & fortuna trahit, & cu-
 ræ, quæ antea divisæ erant, in unum incumbunt, quantum
 non augmentū dolorum & tristitiæ in memoria tantorum
 vulnerum dolendum est? Nunc ubi domus, quæ antehac
 fecunditate felicissima, acerbis in tulerum numeris con-
 fide-

siderat quàm meticulosa spes in filiola unica relicta sit, non
luctus rationem investigaverim, facileq; admodum cre-
diderim, accidisse aliquando sicut de Pulvillo Pontifice
refertur, cui Capitolium dedicanti cum mors filii nuncia-
batur, dissimulavit eam ut ne gemitu precationem inter-
ruperit: idem tamen ut rediit domũ & implevit oculos &
voces flebiles misit, *Senec. d. Consol. ad Helv. c. 13.* Doleo maxi-
mopere, quòd hodie dolorem acerrimum instaurare & ca-
lamitatibus (ut inter homines censentur) memoriam red-
dere necesse sit. Harum enim licet per se vivax recordatio
magis tamen augetur, ubi sua & desideratissimæ conjugis
ANNÆ CATHARINÆ VETTIÆ (cujus vita antehac
inter nos publicè laudata est) proles post discessum hujus
altera effertur & in beatâ Matre elugendâ filialis pietas
detenta est. Vix ante paucos dies Lubecæ elata est Mater
optima Matrona Nobiliss. SUSANNA ex Amplissimo
SLAFFIORUM genere oriunda, Nobilissimi & Ampliss.
Dn. CHRISTOPHORI SCHLAFFII primùm Secre-
tarii Episcop. Osnabrugensis, post Consilarii, dein Syndici
Capituli Hamburg. ac demum vocati Cancellarii Episc.
Osnabrugensis filia, quacum Vir Nobiliss. Ampliss. Con-
sultiss. atq; Excell. Dn. NICOLAUS SCHOMERUS,
Jctus ac Senator hodie apud Lubec. famigeratissim⁹, olim
Syndicus Reip. Brunswicensis meritissimus tot annos
felicissimo in conjugio benedictione divinâ gaudiisq; ex
suorum fortunis cumulatissimus transigens, non min⁹
quàm Macrinus acceperat, dum amisit eam, dolorem
accepisse non obscure testatus est. Videntur bene in me-
moriam revocanda & huc applicanda verba quæ haben-
itur apud Plin. lib. 8. epist. 5. *Habet quidem Macrinus,*
inquit, grande solatium, quod tantum bonum tam diu tenuit
sed hoc magis exacerbat, quod amisit. Nam fruendis volupta-
tibus crescit cavendi dolor. Hoc modo tanti in parentis do-
loribus

loribus, filii simul optimi tristitiam non immeritò multiplicatam dixerim, eamq; in extincta portione quæ in duplicandis memorandæ uxoris dilectissimæ argumentis altera erat, Affinem hunc nostrum maximopere commoveri non immeritò existimaverim. Sed hîc virtus quò magis premitur, eò magis vim suam comprobasse visa est. Prolapsum fuisse ad lacrymas meminimus, sed talem qui fatis memor fortunæ melioris quæ in supernis est, qui tanquam peregrè abeuntes lacrymis profecutus hujus mundanæ regionis tenebrosa tabernacula & afflictionis locum ante oculos posuit. Ego verò quid consolandi officium subibo apud eum, qui pietatis studio & divinæ veritatis ac autoritatis testimoniis, in lætissimo animarum statu post has calamitates nostras & resurrectionis doctrinâ optimâ, aliis præparaturus sapientiam est, quæ noscant, ne contristentur *sicut illi quibus spes vitæ cognita non est?* Illud igitur in animo potissimum est, contendere ac rogare, ut quod officium humanitatis post finitam vitam inter homines laudatum ac inter nos expetitum sæpe est, Parenti Maxime Reverendo, familiæ luctuosæ ad quam nos affinitate intima accessimus cujusq; in favore censebimur, uberrimè Cives Academiæ charissimi præstare velint. Nostra verò in hac tot funerum memoriâ meditatio esto, qualis est apud Greg. Nyssenum: *Noli decipi. Non definitur mors certo tempore ætatis, neq; timet qui sunt in ipso, flore ætatis, in solos autem senes obinet dominatum.* Hujus autem accipe magistræ quotidianam experientiam, vides enim quo mortui efferuntur feretrum; quàm inæqualiter, *Et ut contingit, omnem efferre ætate, hodie senem, cras florentem Et elegentem adolescentem, paulò post cui cæperat apparere lanugo.* Et. P. P. Sub Sigillo

Rektoratus An. MDCXC. d. VIII. Jul.
Conventus fiet in æde Jacobæa, horâ i. pomerid.

✠(O)✠





siderat quàm meticulosa spes in filiola unice
luctus rationem investigaverim, facileq;
diderim, accidisse aliquando sicut de Pu
refertur, cui Capitolium dedicanti cum m
batur, diffimulavit eam ut ne gemitu pre
ruperit: idem tamen ut rediit domũ & imp
voces flebiles misit. *Senec. d. Consol. ad Helv. c.*
mopere, quòd hodie dolorem acerrimum i
lamitibus (ut inter homines censentur) r
dere necesse sit. Harum enim licet per se vi
magis tamen augetur, ubi sua & desiderati
ANNÆ CATHARINÆ VETTIÆ (cujus
inter nos publicè laudata est) proles post
altera effertur & in beatâ Matre elugen
detenta est. Vix ante paucos dies Lubeca
optima Matrona Nobiliss. SUSANNA
SLAFFIUM genere oriunda, Nobiliss.
Dn. CHRISTOPHORI SCHLAFFII
tarii Episcop. Osnabrugensis, post Consilia
Capituli Hamburg. ac demum vocati Ca
Osnabrugensis filia, quacum Vir Nobiliss
fultiss. atq; Excell. Dn. NICOLAUS S
Jctus ac Senâtor hodie apud Lubec. famig
Syndicus Reip. Brunswicensis meritiss
felicissimo in conjugio benedictione divi
suorum fortunis cumulatissimus transfig
quàm Macrinus acceperat, dum amisit
accepisse non obscure testatus est. Viden
moriâ revocanda & huc applicanda ven
itur apud Plin. lib. 8. epist. 5. *Habet qui
inquit, grande solatium, quod tantum bonu
sed hoc magis exacerbatur, quod amisit. Nam
tibus crescit carendi dolor. Hoc modo tanti*



non
cre-
fice
cia-
ter-
s &
axi-
ca-
ed-
atio
gis
hac
jus
etas
ater
mo
liff.
cre-
dici
isc.
Con
US,
lim
nos
ex
nis
rem
me-
en:
nus,
nuit
pta-
do-
pus